

omnes adeptus, dedit exemplum quod secuti ex pauperibus diuites, ex contemptis metuendi perniciem aliis, ac postremum sibi^a inuenere. Sed Marcellum in simulabat sinistros de Tyberio sermones^b habuisse: ineuitabile crimen, cum ex moribus principis foedissima quæque deligeret accusator, obiectaretque reo. nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo, statuam Marcelli^c altius, quam Cæsarum sitam, & alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tyberii inditam. ad quod^d exarsit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret, se quoque in ea causa laturum sententiam palam, & iuratum, quod cæteris eadem necessitas fieret. Manebant etiam tum^e vestigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piso, Quo, inquit, loco censebis Cæsar? si primus, i habeo quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens dis-

^a Vide lib. 6. de Paconiano, qui ob carmina in principem fatalitatis in carcere strangulatus est.

OBSERVATIONES.

^a Qui aliis perniciem querit, hoc uno scilicet est, quod eam sibi quoque inuenit.

^b Incunte principatu nullum crimen exitiosius est, quam lese maiestatis; quod non solum eò usque extenditur, si per quem factum est, ut & princeps, & resp. detrimentum caperet, sed et ad ipsa verba refertur, quæ eadem atrocitate puniuntur, quæ deterrima quæque flagitia. Itaque de principe, potissimum tyranno, nunquam nisi necessario, & per parcè loquendum est.

^c Locus non magis, minusue honoratus dicitur propter eam personam, cuius est; verum etiam propter eas omnes res, quæ illam personam demonstrant; cuiusmodi sunt imagines, statua, effigies, simulachra, & cætera eius generis.

^d Cum superior locus, etiam in rebus inanimis, sit honoratior inferiore, diligenter cauendum est, ne quid in ea re peccetur, quæ re quisquam, ac potissimum princeps merito offendi possit. Itaque quemadmodum si ipse adesset, primum haud dubie locum, nullo aduersante, insideret, quæcunque referunt illius personam haud dubie simili loco sunt collocanda.

^e Hic est mos principum callidissimorum, ut, etsi aliquem perdere mirè cupiunt, tamen non id, quæ propter verè dolent, sed honestiorem aliquam causam affectui suo prætexant; eamque obtenturi, in illius, scilicet, perniciem, quem oderunt, sumant. Ita in us, quæ impotentissime faciunt, speciem aliquam induunt recti.

^f Si princeps ab senatu, aut quouis alio sibi in aliqua re, operam præstari cupit, ipse suo exemplo, verbisque conceptis aperte declaret, quid animi super ea re habeat, quippe satis constat, neminem fore, qui ipsius auctoritatem defugiat.

^g In principatu nondum adulto morientis libertatis vestigia etiam manere dicuntur, cum aliquis etiam reperitur tanta constantia, ut cæteris in foedam adulationem lapsis, inique principis sententia ipse vnus aduersari audeat.

^h Non satis est tutum ijs de rebus, quas princeps ratas apud se, statutaque habet ante ipsum, aut post ipsum sententiam dicere, quippe si princeps primus dicit, iam quod sequaris, habes; nec sine offensione, aut periculo ab eo dissentire potes; si post omnes, verendum est, ne imprudens ab eo dissenseris. hinc prudens principis consiliarius disset, sibi ante omnia, & per omnia principis mentem esse pernoscentiam. ne quid sibi excidat, quod intempestiuum, molestum, reip. infructuosum, sibi quoque exitiosum sit.

ⁱ Quæ de re quid quisque ex suis consiliariis sentiat, si princeps scire vult, ipse ab sententia coram dicenda abstineat, ac cæteros tantum audiat, qui aliter facit, non rogat sententias, sed suam prætexere vult.

sentiam